

plures cum eo Monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum.

XIII.
AFRICA EX
ROMANO PA-
TRIARCHATU.

^a August. epist.
92. ad Innoc.

^b August. epist.
163. contra Do-
natistarum per-
tinaciam.

XIV.
ILLYRICUM EX
ROMANO PA-
TRIARCHATU.

^c Socr. hist. Ec-
cles. l. 7. c. 35.

Περικύβητος ἐν Πά-
τραις ἔχειροτονή-
θη ἐπίσκοπος. καὶ
ἐπειδὴ οἱ τῆς προ-
ειρημένης πόλεως
αὐτὸν ἐν ἐδέχον-
το. ὁ τῆς Ρώμης
ἐπίσκοπος ἐπέλευ-
σεν αὐτὸν ἐν θρο-
νῷ ἐν Κορίνθῳ
τῆ μητροπόλει,
τῆ ἐκεῖ ἐπισκόπε
τελευτήσαντος,
καὶ τῆ ἐκεῖ ἐπι-
κλησία, διὰ βίου
πρόεσι.

^d Epist. Synod.
episc. vet. Epiri
ad Hormisd.
tom. 2. Conc.
^e Greg. m. lib.
4. indict. 13.
epist. 8.

^f Greg. m. lib.
4. epist. 55.

XV.
THRACIA EX
ROMANO PA-
TRIARCHATU.

Quantum ad Africam spectat, quis parem Romanæ sedis auctoritatem in illius Episcopos non agnoscat, si Divum Augustinum in Epistolis scribentem audierit, apud Africanos consuetudinem invaluisse, ut singularum provinciarum, etiam proconsularis, Synodi in causis alicujus momenti ad Romanam sedem scriberent, ab ea, vel ordinem quem sequi deberent, vel decretorum quæ fecerant confirmationem, petentes? Hujus verba sunt: ^a Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam beatus illustras, hæc causa scripsisse comperimus. Nec mirum sane, cum disertissimis verbis apud Romanam Ecclesiam semper viguisse principatum asserat toto orbe illustris fide & doctrina magnus ille Doctor scribens contra Donatistarum pertinaciam. ^b Erat, inquit, Carthago transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis: unde non mediocris utique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum.

† De Illyrico solo non diximus: sed quis apud illud similem potestatem Romanum pontificem habuisse non credet, si hæc narrantem ^c Socratem audierit? Perigenes Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus, quem, ubi populus illius urbis eum repudiaverat, Episcopus Romanus mandavit, ut Episcopo Corinthiæ Metropolis jam mortuo, in sede Episcopali illius urbis collocaretur: cui Ecclesiæ reliquo vitæ spatio præfuit. Is autem Perigenes adfuit subscripsitque Concilio Ephesino. Nec de hac diœcesi major est difficultas circa quintum & sextum sæculum quàm circa superiora: cum in epistola Episcoporum veteris Epiri ad Hormisdam, de electo Joanne Metropolitano Nicopolis, ^d hæc ad eum scripta legantur. Rogamus, ut juxta antiquam consuetudinem, hunc quoque complectamini paternis visceribus vestris, nobisque atque ipsi Dei gratia efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus vestris, atque doctrinis. Et precantibus nobis, inclinetis aurem, & pietatem concordia reperiatis justam inspiratam vobis divinitus Apostolicam providentiam. Non enim hæc nisi ad proprium Patriarcham, cujus erat electiones confirmare, scribere poterant. Unde his respondens Hormisdæ, Ioannis electionem confirmatione sua sancivit. Sic alio Ioanne electo Primæ Iustinianæ primæ, Gregorius magnus hujus electionem etiam confirmavit, eique vices suas committens per Illyricum, palliumque mittens hæc scripsit: ^e Quia igitur suscepta fratrum & Coepiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos Sacerdotii, totius Concilii unito consensu, & serenissimi Principis voluntate declarat accersiri: gratias omnipotenti Deo creatori nostro magna cum exultatione retulimus: qui vitam actusque vestros ita de præteritis fecit esse probabiles, ut omnium vos, quod est valde laudabile, faceret placere iudicio. Quibus nos quoque in persona fraternitatis tuæ per omnia consentimus, atque omnipotentem Dominum deprecamur, ut charitatem vestram sicut sua gratia elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat. Pallium verò ex more transmisisimus, & vices vos Apostolicæ sedis agere iteratâ innovatione decernimus. Sic idem ^f Gregorius, cum pallium Corinthiorum Archiepiscopo mitteret, Episcopis Helladis præcipit ut ipsi obediant. Pallium Joanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite: cui vos magnopere convenit obedire, præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona ejus, quibus ipsi testimonium perhibetis, invitent. Sic tandem multa id genus argumenta, nisi longum esset, in hujus veritatis confirmationem afferri possent.

* Sed difficultas major est circa diœceses Thraciæ, Scythiæ, Daciæ, Macedo-

N O T Æ.

† De Illyrico.] Patriarchæ Romani jurisdictio absoluta in universum Illyricum multis Epistolæ documentis probatur in Concilio Romano Bonifacii Papæ II. LUCAS HOLSTENIUS.

* Sed difficultas.] Thraciæ diœcesis semper ad Heracleensem Primatem pertinuit. LUCAS HOLSTENIUS.